

ille vero consul, si modo haec templa atque ipsa moenia stare eo vivo tamdiu, et consulatum ejus expectare potuissent, ille denique vivus mali nihil fecisset, qui mortuus, uno ex suis satellitibus Sex. Clodio duce, curiam incenderit? Quo quid miserius, quid acerbius, quid luctuosius vidimus? Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo populo Romano concessam uni ordini, inflammari, excindi, funestari? neque id fieri a multitudine imperita, quanquam esset miserum id ipsum, sed ab uno: qui cum tantum ausus sit ultor pro mortuo, quid signifer pro vivo non esset ausus? In curiam potissimum abjecit, ut eam mortuus incenderet, quam vivus everterat. Et sunt, qui de via Appia quaerantur, taceant de curia? Et qui ab eo spirante forum putent potuisse defendi, cujus non restiterit cadaveri curia? Excitate, excitate eum, si potestis, ab inferis, frangetis impetum vivi, cujus vix sustinetis furias insepulti? nisi vero sustinuistis eos, qui cum facibus ad curiam concurrerunt, cum facibus ad Castoris, cum gladiis toto foro volitarunt. Caedi vidistis populum Romanum, concionem gladiis disturbari, cum audiretur silentio M. Coelius, tribunus plebis, vir et in republica fortissimus, et in suscepta causa firmissimus, et honorum voluntati, et auctoritati senatus deditus, et in hac Milonis sive invidia, sive fortuna, singulari, divina, et incredibili fide.

XXXIV. Sed jam satis multa de causa: extra causam etiam nimis fortasse multa. Quid restat, nisi ut orem, obtesterque vos, iudices, ut eam misericordiam tribuatis fortissimo viro, quam ipse non implorat: ego autem, repugnante hoc, et imploro, et exposco? Nolite, si in nostro omnium fletu nullam lacrimam adspexistis Milonis, si vultum semper eundem, si vocem, si orationem stabilem ac non mutatam videtis, hoc minus ei parcere: atque haud scio, an multo etiam sit adjuvandus magis. Etenim si in gladiatoriiis